

angelorum rex simul voce matthæum, avaritiæ catenis ligatum illico exsolvere, et telonii ergastulo liberatum post se trahere potuit? S. Ignatius Loiola cum Judæum nomine Isaac a se conversum, postea vero a sociis seductum, rursus ad Judaismum discedere videret, uno verbo (*mane nobiscum Isaac*) statim eum reduxit et in fide solidavit. Quid mirum si hoc potuit in Matthæo aliisque efficere Christus? Denique: « Si in magnete et succinis, ait Hier. ubi sup. hæc esse vis dicitur, ut annulos et stipulam et festucas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat? » Verba igitur Christi magnetina fuere.

Sed unde, dicit aliquis, tanta unius vocis Christi energia? Respondeo primo, quia vox erat Dei ac proinde potentissima: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?* Jer. XXIII. Ignis et malleus non indigent præcursore, qui viam illis præparet, sed ipsi sibi viam faciunt: ignis omnia perrumpit, malleus omnia conterit. Sic etiam vox Dei quæ non tantum aures ferit, sed etiam ad cor penetrat et omnia obstacula frangit. Unde ad Hebr. IV. dicitur: *Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Vox concionatorum nequaquam ita penetrat, quia aures ferit, sed cor non aperit. Secundo, quia vox erat Patris, ac proinde vox suavissima: *Perdix fovet quæ non peperit aliena* (scil. ova et pullos) *in medio annorum deseret illa,* ait Jer. XVI. id est, ut ibi S. Hieron. refert, ubi pulli adoleverint, quamprimum matris genuinæ vocem audiunt, agnoscunt illico et sequuntur relicta perdice, adulterina videlicet matre: ad eundem modum erat primo Matthæus sub noverca et aliena matre, sub potestate dæmonis et mammonæ: sed ubi audivit vocem Christi, utpote legitimi parentis, illico agnovit et relicto telonio ad ipsum occurrit.

Denique, fuit vox judicis, ac proinde etiam imperans et terrens. Non enim reddidit rationem Matthæo cur vel ad quid vocaret illum, sed absolute jussit tamquam Dominus et judex. Tonitru erat hoc Matthæo: de quo in Ps. XXVIII. dicitur: *Vox Domini præparantis cervos,* ubi Aquila vertit: *Parturire facientis cervos;* alii: *Obstetricantis cervos.* Etenim cerva cum partum diu differat et non nisi perfectos fetus cursui et pastui mox aptos edat inde summa difficultate parit, ut habemus in libro Job, cap. XXXIX. Cælo interim nubilo contingit, ut vehementius tonet, unde pavefacta cerva fœtum facile et celeriter edit. Ejusmodi cerva Matthæus erat, quando jam rumore miraculo-

rum, doctrinæ et sanctitatis Christi gravidus erat sed obstabat partui telonium, amor consanguineorum, cupiditas nummorum, etc. Et en tibi ingens tonitru: *Sequere me,* q. d. sic volo, sic jubeo: noli causam quærere, ita oportet fieri: væ tibi ni sequaris, etc. Tum demum omnibus valedicit, et nullo negotio parit fœtum Deo gratissimum, novam creaturam, ex Judæo Christianum, ex Publicano apostolum.

Audimus et nos multoties Dei vocem, monentem ut surgamus e mundi et peccatorum telonio. Sed quam parum ea movemur? Audimus vocem Dei ac proinde potentissimam, quoties a Deo flagellamur et a creaturis ejus, alioquin ad servitium nostrum ab illo destinatis. Quid sibi vult flagellum hæreseon nos undique infestantium? Quid sibi vult diutinum hoc bellum? Quid annonæ charitas aliquot retro sæculis inaudita? Quid sibi vult cum ignis domos nostras vastat, cum integra urbs ruina montis sepelitur, cum aer inficitur et pestem affert, cum terra fruges negat, cum furtis et latrociniiis repletur, cum morbi in nos sæviunt, cum amici moriuntur, etc.? Annon hæc omnia mala ipsius Dei vox sunt? Annon cor nostrum penetrant, cum hæc et similia patimur? Quid vero aliud clamant, quam: *Sequere me? Convertimini ad me et convertat ad vos? Quiescite agere perverse, discite bene agere, etc?*

Audimus vocem Patris et proinde suavissimam, quoties dona Dei percipimus. Quis enim te quotidie alit? Quis vestes, quis frugum tibi largitur abundantiam? Unde tibi tam constans sanitas? Tam longævi parentes? Quis est ille, qui tibi quotidie facit oriri solem? Unde tibi ignis, quo calescis? Aer, quo respiras? Aqua, qua potaris? Terra, qua sustineris? Quis tibi subjecit omnia ut tibi inservirent, et ad tuam conservationem perpetuo laborarent, adeoque vitam tibi penderent? Viden ergo funiculos Adam, quibus traheris? Sed adverte etiam vincula charitatis, suprema beneficia. Quis est qui fecit? Quis refecit? Quot hic peregrinationes pro te suscepit? Quot sermones habuit? Quot noctes insomnes duxit? Quot mira perpetravit? Quot cruciatus pertulit? His omnibus Deus clamat: *Sequere me,* mitte diabolium; non est ille pater tuus; alienus est, adulter est; perdix est, quæ te non genuit, et in medio annorum deseret.

Audimus vocem judicis terribilem, quoties legimus vel audimus Scripturam peccatoribus comminantem ac tonantem. Quale tonitru est illud: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram?* Quare illud: *O quam difficile est divitem intrare in regnum celorum!* *Facilius est camelum, etc.* Non corrui, non tremis, cum tu avare hoc

tonitru audis? Quid tonat apostolus ad Gal. cap. V. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, commensationes et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur?* Denique, quid tonat hominem judex, Matth. XXV. cum ad reprobos ait: *Ite maledicti, etc.?*

Qua ex re patet, quam juste tandem deserat et damnet Deus illos, qui tot funiculos rumpunt, nec trahi se patiuntur, etc.

CONCIO II.

MATTHÆUS HOMO DESIGNATUS AB EZECHIELE, SEU VIRTUTES EJUS.

I. Bona voluntas. — II. Obedientia. — III. Humilitas. — IV. Mansuetudo. — V. Paupertas. — VI. Libertas.

THEMA.

Uum transret inde Jesus, viat nominem.
Matth. IX.

Laertius, lib. VI. de Diogene refert, eum media quondam die lucerna accensa forum perambulasse clamantem: *Hominem quæro:* alio item tempore in foro exclamasse: *Adeste homines, adeste homines:* quorum cum multi accurissent: *En, inquit, adsumus, dic aliquid:* at ille arrepto baculo eos abigens: *Homines,* inquit, *adesse jussi, non sterquilinia.* Indignos nimirum judicavit hic philosophus hominis dignitate et nomine eos, qui bestiarum instar degerent. Non aberravit hic a Christi Domini nostri scopo et intentione. Circuibat et hic in mundo homines indagans, homines inquam, qui ratione ducerentur, qui blande se tractari, duci, instrui et virtutibus perpoliri sinerent: sed invenit ut plurimum pro hominibus bestias, refractarios et trunos. Invenit enim viperas, a quibus mordebatur dente detractionis, dum ab illis audit: *Beelzebub, vini potator, homo vorax, etc.* unde eis dixit: *Genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Matth. XXIII. invenit mulos, quorum calcibus contemptus impetebatur, dicentium: *Nonne hic est filius fabri?* Imo a quibus et prodebatur, juxta id Joan. XIII. *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum:* invenit aspides surdas, et obturantes aures suas sermoni divino: invenit vulpes sibi clanculum insidiantes, uti Herodem, juxta id Luc. XIII. *Dicite vulpi illi* (Herodi scilicet): *invenit ursos, quorum flagris velut*

unguibus crudeliter laniabatur: invenit tauros pingues, quorum cornibus (crucis videlicet ligno) dire configebatur. Bene igitur dicere poterat in Jerem. IV. *Intuitus sum et non erat homo.* Verum hodie tandem vidit hominem, uti asserit evangelium, nomine Matthæum: hominem scilicet illum, quem dudum ante in spiritu viderat Ezech. c. I. et postea Joannes, Apoc. IV. inter quatuor animalia trahentia currum evangelicæ prædicationis per universum orbem. Is autem de communi patrum sententia Matthæum effigiabat, qui ab humana Christi generatione evangelium suum incepit. Superest nunc, ut cujusmodi homo fuerit Matthæus, ostendamus.

Animalia illa, quæ Joannes vidit, singula senas alas habebant haud dubie ad instar Cherubim, qui ut vidit Isaias, c. VI. duabus velabant facies suas, duabus pedes, et duabus volabant (uti notat Joach. in capit. IV. Apoc.) Habuit et Matthæus noster sex virtutes quasi alas, quibus Christum sequeretur ad munus apostolatus.

I. Alæ, quibus volabat ad sequelam Christi, bona voluntas et obedientia erant; quas subtili penicillo indicat Matthæus illis verbis: *Surgens secutus est eum.* Bona voluntas ex eo elucet, quod audita Christi vocatione statim surrexit a telonio. Non vocabatur nomine suo, nec videtur habuisse prius cum Christo familiaritatem aliquam: nihil audiit de præmio sequelæ, quod promiserit Christus; et tamen mox surrexit, telonii sui oblitus et Christi amore incensus. Nimirum sicut agnus illico agnoscit vocem matris e mille ovibus, sed cursu ad eam fertur: ita et Matthæus, quia scilicet erat una ex Christi ovibus vocem ejus mox agnovit ac velut sibi salutarem, prosequendam existimavit. Habuit hac in re æmulatores seu imitatores non paucos, omnes eximie sanctitatis; velut S. Antonium, qui in templo audiens id: *Vade, vende omnia, quæ habes,* omnibus mox renuntiavit et paupertatem amplexus est, non secus ac si de cælo vocem illam sibi dictam accepisset: S. Franciscum, qui audiens legi illud: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque duas tunicas habeatis,* mox eam sibi regulam amplectendam existimavit: S. Gerardum, qui lecto illo apostoli ad Phil. I. *Qui cepit in vobis opus bonum, perficiat:* S. Augustinum, qui reperto illo textu apostoli ad Rom. XIII. *Non in cubilibus et impudiciis, etc.* velut de cælo sibi missas voces statim amplexi sunt, et vitam in melius commutarunt. In his aliisque innumeris Christianis verificata est prophetia Ezech. c. XI. et XXXVI. ubi promissit Deus fidelibus cor novum et carneum, quod ad Dei vocem flexile et tractabile esset: *Auferam, inquit, cor lapideum de carne eorum et dabo*

eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent. Verum non desunt adhuc etiam inter Christianos, qui quasi cor lapideum haberent, ita surdi sunt ad Dei voces et conciones, quas non pluris aestimant, quam si in silva aut deserto vocem audissent nihil ad se pertinentem; similes generis illius Loth, qui dum hortaretur eos ut consulerent sibi, et fugerent imminens Sodomæ incendium: *Visus est eis quasi ludens loqui*, Gen. XIX. Nihil magis, nihil crebrius inculcatur peccatoribus ab evangelio ejusque præconibus, quam gehennæ fuga, iudicii terror, mortis calamitas. Et tamen multi sunt, qui his fulminibus, et tonitruis adeo non terrentur, quasi hæc omnia ludus tantum et puerorum terribilissima forent. His optandum et orandum sedulo, ut Deus saxeum eorum cor percutere virga alicujus calamitatis semel atque iterum dignetur (quemadmodum fecit Moyses petram, Exod. XVII. et Num. XX.) quo tandem emollitum lacrymas profundat.

II. Ala altera obedientia est, quæ quam perfecta fuerat in Matthæo, videtur insinuari ab evangelistis, qui de eo scribunt omnes in perfecto: *Secutus est eum*, cum de cæteris Publicanis Christum itidem sequentibus scribat Marcus, capit. II. in imperfecto: *Sequebantur eum*. Perfecta autem fuit primo, quia sine mora statim surgens secutus est Christum, adeo ut S. Basilius, in reg. interrogat. VIII. dicat, eum tam celeriter secutum, ut vectigalium rationes in mensa reliquerit imperfectas. Erat nimirum instar aquæ in mensam effusæ, quæ digito tacta præcedentem illum mox sequitur.

Secundo, quia *relictis omnibus*, ut ait Lucas, cap. V. adeoque integre, nihil sibi reservans obdivit. Non enim aliqua excepit, nec quæsiuit: *Domine quorsum vel in quantum sequar te?* Sed quo illum ducturus erat Dominus, sequi paratus erat nudus nudum videlicet, nihil proprii capitis sibi retinens, atque ut Euthymus hoc loco ait: *Solam adduxit mentem ad omnia paratam, quæ jussisset is, qui eum vocaverat.* Non est passim obvia talis obedientia. Plerique proprii sensus aliquid sibi retinent, ut quemadmodum Saul rex omnia de Amalec demoliri a Deo jussus, pingua retinuit sibi et pulchra, cæteris, vastatis, I. Reg. XV. Ita multi in levioribus se subjicere norunt, non item in gravioribus: cæteris peccatis renuntiat, uni vel alteri tantum, cui maxime adhærent, nuntium mittere nolunt: externe quidem obediunt, et quæ jubentur exequantur, voluntatem et sensum non frangunt, ut superiori accommodent.

Tertio, quia tempore incommodo, dum *sederet in telonio*, quando aliis rebus occupatus minime, venturus sperari poterat. Sic enim invitati illi ad

cœnam, dum aliis rebus distinebantur, alius in villa, alius in bobus, alius in nuptiis suis, minime venerunt. Nihil horum Matthæum tenuit, non pecunia, non fama, non uxor: omnia abruptit vincula, ut Christo frueretur.

Quarto, quia in subjecto difficili. Erat enim, ut scribit Metaphrastes, in ejus vita, in omni scientia et arte versatus magnopere ingenii acumine et insigni rerum experientia præditus, adeo ut primum locum inter Publicanos ejus loci obtineret. Quis autem nescit eos, qui ingenio et experientia præstant, communiter alias suæ opinionis tenaces adeoque ad obediendum difficiles esse?

Quinto, quia constanter. Adhæsit enim Christo, individuus ejus sectator. Non ita cæteri Publicani, qui sedebant, hi enim finito convivio ad sua redierunt: quorum similes sunt, qui initio boni operis fervent, in progressu tamen deficient, cum se difficultas offert, similes illi Zaræ, qui a geminis prior egredi de matris utero cœpit et manum protendit: sed cum filus ejus alligaretur manui, dolore tactus retraxit manum et posterior natus est, Gen. XXXVIII. Tales enim sunt, qui renasci quidem incipiunt et viam salutis ingredi: sed si filo obedientiæ paulo arctius ligentur, illico manum retrahunt.

III. Alæ tegentes faciem, humilitas et mansuetudo sunt, quibus velut alis Matthæus justitiam et virtutes suas texit. Humilitas ejus inde elucet quoad ea tantum de se scribit, quæ humilitatis et abjectionis sunt: cum reliqui evangelistæ ea, quæ laudis sunt, de ipso scribant. Nam imprimis, cum duplici vocaretur nomine, Matthæus scilicet et Levi: vulgato illo, hoc honoratiore (ut vult Sanctus Hieronymus, in præc. in Matth. glossa ord. Beda, Euthymius) ipse se abjectiore nomine *Matthæum* appellat, quem Lucas, digniore *Levi* nominat. Deinde, vitium et infamiam suam aperit, dum se Publicanum fuisse et telonio sedisse asserit, nec aliis se Publicanis præfert, sed turbæ eorum miscet. Ad hæc cum ad magnam ejus gloriam referri posset, quod tam celeriter e telonio surgens vocantem Christum secutus sit: ne hanc sibi tribueret laudem, in tertia persona quasi de altero id recenset. Denique, ea reticet quæ ad propriam commendationem faciebant, ut quod omnibus relictis secutus sit Christum, et quod fecerit Christo convivium: quæ recenset Lucas, cum Matthæus solum scribat: *Surgens secutus est eum. Et discumbente eo in domo.* Discimus ergo cum de nobis loquimur, defectus tantum nostros intueri, non profectus: contra, cum de aliis, quemadmodum fecerunt Marcus et Lucas, Matthæo nomen magis honorificum tribuunt. Sed

ferre contrarium evenit. Raro e civibus alter alteri suum proprium et honestum tribuit, sed in honestum nomen affingit, eoque illum traducit scurriliter, contra id apostoli ad Rom. II. *Honore invicem prævenientes.* Cæterum Matthæi nomen, omisso nomine Levi, ab Ecclesia retentum est, quia ob humilitatem apostoli factum est altero gloriosius: humilitas in gloriam cessit.

IV. Mansuetudo ex eo patet, quod audiens Pharisæos et Scribas obtrectatores, dicentes: *Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Non levi probro et contumelia affectus, et quidem in domo sua, nihil tamen respondet, sed dissimulat injuriam. Peccator proclamatur Matthæus et indignus, quocum Christus et discipuli ejus comedant: nonne insignis hæc contumelia est? Nonne eam Matthæus a se amoliri, et in sinum Pharisæorum non poterat regere? Verum tacuit ipse, et Christo suam defensionem commisit, ideoque ab eo defendi meruit. Hoc est, quod apostolus ad Rom. XII. docet: *Neque nosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ: date locum iræ, committendo ultionem Deo, cujus est vindicta: date locum iræ, tacendo et cedendo irato, donec iram ponat; sic illum sibi restituatis, et vobis reconciliabitis: date locum iræ, expandendo sinum charitatis vestræ ad excipiendos quosvis iracundiæ fluctus, ita ut parati sitis omnia adversa æquo animo ferre, et charitatis repensione obruere.* Hoc amoris philtrum propinavit Sanctus Greg. Nazianz. Constantinopolitanis suis catholicis: dum enim ipsi ab Arianis sub Valente imp. Ariano vexati et oppressi, eo mortuo sub Theodosio catholico imp. pari eis reddere cogitarent, hæc ad eos dixit Nazianzenus: « Non hæc, mi rex, a nobis poscit Christus, neque sic evangelium nos docet. Hæc mea sit ultio, ut qui nos affecerunt injuriis, salutem consequantur. Præstate illis beneficia, qui vos odio prosequuntur. Quod si animus vehementer exæstuat neque coerceri se ira patiat, quod ab hoc alterum est, præstate, ut hæc Christo permittatis ac futuro tribunus reservetis. Mea enim est ultio, ego rependam, ait Dominus. » His dictis populum placavit et in suam sententiam pertraxit. Neque segnius re ipsa præstitit ipse, quod verbo alios docuit. Cum enim in Concilio Constantinopolitano dissidia quorundam episcoporum orta essent, quod ipsis inconsultis consecratus esset episcopus, illis Jonæ verbis placare eum studuit: *Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare, ut vos jactari desinat, atque ita episcopatu cessit, Gregorius presbyter, in ejus vita.*

V. Alæ, quæ tegunt pedes, paupertas sunt et

liberalitas. His enim duabus virtutibus fœditatem honorum temporalium, quæ per pedes designantur, operire possumus, contemnendo scilicet ea et elargiendo. Paupertatem sectatum esse Matthæum ostendit Lucas, cum ait: *Relictis omnibus secutus est eum.* Ergo qui prius omnibus affluebat, postea omnibus egebat. Quod enim Christus habuit, hoc habuerunt et discipuli, nihil videlicet præter eleemosynam; neque hanc ad sufficientiam nec statis temporibus: alioquin, præ esurie non villicassent spicas in sabbato ad sedandam nonnihil famem, Matth. XII. Docemur ergo a Matthæo perituras opes relinquere, antequam ipsæ nos relinquant extremo nostro damno: quo modo dux exercitum suum, quem videt esse timidum aut rebellem vel plenum proditoribus. Hinc enim si capit, deserit exercitum antequam ab ipso deseratur in summo vitæ discrimine. Hujusmodi autem milites sunt divitiæ, quæ propterea a Domino Matth. XIII. *fallaces* nuncupantur: *Fallaces enim sunt*, ait S. Gregorius, homil. XV. in evang. *quæ nobiscum die permanere non possunt: fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt: fallaces demum, quia in extrema necessitate deserunt possessorem et hosti tradunt.* Cæterum qui effectu deserere has cum Matthæo non vult aut potest, deserat saltem affectu; quod fiet si eas e corde suo excludat. Si quis asservandum tibi gladium dedit et nescias quando eum repetiturus sit, dices, opinor: *Servabo quidem tibi gladium; sed non in meo cubiculo; fieri enim potest, ut eam repente et insperato, ac forsitan media nocte a me repetas: quare ne propterea de somno surgere tibi que aperire debeam, ponam illum in atrio prope januam, ut quandocumque volueris, venire et auferre queas, sine mea molestia.* Ita agendum cum divitiis. *Habendæ sunt pro deposito, servando ad tempus, brevi tamen restituendo, quandocumque scilicet Deo placuerit: atque idcirco in cubiculum cordis non sunt admittendæ, non amandæ velut propriæ: sed foris extra cor collocandæ, ut quandocumque Dominus venerit easque repetierit, pacem et tranquillitatem animi servemus dicamusque cum S. Job: Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.*

VI. Liberalitas et fraterna charitas enituit in Matthæo, dum una cum Christo invitavit ad convivium etiam alios Publicanos, ut ita exemplo suo allecti, et familiaritate Christi attracti et ipsi converterentur. Unde ven. Beda in hunc locum ait: *Matthæus, qui apostolus et doctor gentium erat futurus, in prima sua conversione post se gregem traxit ad salutem. Invenerat nimirum pretiosam margaritam; hinc omnibus eam ostendit, hinc*

convocat amicos et vicinos dicens: *Congratulamini mihi, etc.* Terrena bona, quia finita sunt, divisione minuuntur et pluribus non sufficiunt, ideo molesta est eorum communicatio; at cœlestia bona omnibus sufficiunt, et quo pluribus communicantur, eo magis satiant expletque appetitum. In convivio cœlesti semper superest; et quo plures sunt convivæ, eo majus omnium gaudium; quod videtur mihi insinuat in duobus illis conviviis, quæ exhibuit Christus. Primum, Marci VIII. in quo plures erant panes, septem videlicet et pauciores discumbentes, nimirum 4000. reliqui autem erant septem tantum corbes fragmentorum: alterum, Joannis VI. in quo pauciores panes, utpote quinque tantum: et plures erant discumbentes, nimirum 5000. superfuert tamen duodecim cophini fragmentorum. Quid vero hoc aliud significant, nisi in cœlo tanto majorem esse gaudiorum et bonorum omnium affluentiam, quanto major est et beatorum societas?

Hinc ergo qui ad Christum conversi pignus beatitudinis et quasi prægustum cœlestis convivii acceperunt, mox ad idem alios quoque vocare contenderunt, ut Andreas Petrum, Philippus Nathanaelem, Matthæus Publicanos, Samaritana civis suos ea voce: *Venite et videte hominem, etc.* Joan. IV. Regulus totam domum suam, aliique postea fideles, præsertim potestate aliqua præditi, qui non satis habuerunt, quod ipsi evangelii lucem aspexissent, sed præterea adlaborarunt, ut subditos in primis, deinde amicos et vicinos suos ad eandem traherent, quo modo etiam sponsa, cum pro se dixisset sponso: *Trahe me post te*, mox subjecit: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. II. alios etiam secum ad sponsum ducere volens.

Superest nunc ut nos quoque saltem quoad possumus, Matthæum imitemur, et cum eo curramus in odorem virtutum Christi, si veri homines et veri Christiani haberi et esse volumus.

CONCIO IV.

MISERICORDIA DOCETUR.

I. A primis Christianis. — II. Ab Hebræis. — III. A gentilibus. — IV. A bestiis. — V. Ab inferis.

THEMA.

Euntes discite quid est: Misericordiam volo.
Matth. IX.

Mos est in scholis, auditores, ut discipulus ille, qui in re facillima hallucinatur et impingit, mit-

tatur ad inferiores scholas, ut a rudioribus discat cum pudore, quod dudum scire debuit. Hunc in modum Sapiens, Prov. VI. pigrum ad fornicas mittit, ut laborare discat, sibi que providere: *Vade ad fornicam o piger, ait, et considera vias ejus et discite sapientiam.* Et hoc idem videtur Christus facere in hodierno evangelio, dum ablegat Phariseos ad discendam prophetæ sententiam omnibus notissimam; ait enim: *Euntes discite, quid est: Misericordiam volo.* Sed quorsum eos ablegat? Sane opus non erat, ut consulerent doctiores, aut libros multos evolverent, quod enim misericordia miseris, medicina ægris exhibenda sit, sole clarius est. Ergo a rudioribus, a lippis et tonsoribus discere hoc debebant, quod cæci nesciebant. Porro quoniam etiamnum reperiuntur Christiani, quibus virtus misericordiæ adeo peregrina est, ut nescire videantur an requirat eam Deus; necessarium esse duxi, tales ablegare ad scholas inferiores, ut ab illis pudefacti discant, quod docere alios deberent. Sex classes distinguuntur in litteris humanioribus: principia, rudimenta, grammatica, syntaxis, humanitas, rhetorica. Nos, ut arbitror, in hac sexta et summa sumus, aut certe esse debemus; siquidem nunc Ecclesia repleta est scientia plus quam aliis sæculis, et præterea sumus in sexto annorum millenario ab orbe condito; et ita nos doctissimi et perfectissimi esse deberemus. Vos igitur qui nescitis, quid sit, misericordiam volo, itote:

I. Ad humanistas, id est, ad primos Christianos nascentis et adolescentis Ecclesiæ, qui Christi humanitati vicini vere humani et homines sancti sunt.

Primo, hi diebus dominicis collectas faciebant pro Christianis, qui Jerosolymis et alibi bonis suis spoliati erant, ut patet I. Cor. XVI. et Act. XI. ubi Antiocheni prævenientes famem ab Agabo prædictam miserunt suam eleemosynam per Barnabam et Saulum, et II. Cor. VIII. ubi apostolus laudat Ecclesiam Macedoniæ, quod in profundissima licet paupertate sua liberaliter tamen sua elargita sit pauperibus Jerosolymitanis, et hortatur eorum exemplo ad idem faciendum Corinthios, quam consuetudinem durasse usque ad tempora Theodosii scribit S. Hieronymus contra Vigilantium.

Secundo, post sanctam communionem, qui ditiores erant, faciebant agapes, hoc est, convivis in signum charitatis, pauperibus præsertim, ut colligitur, I. Corinth. XI. ut docet Tertullianus et alii.

Tertio, tam effusa erat illorum largitas erga pauperes et peregrinos, ut impostor quidam philosophus cognomento Proteus, a Paro insula

oriundus ad Christianos se receperit, et baptismo suscepto effecerit, ut pietatis causa in carcerem mitteretur cum aliis Christianis, sed eo tantum consilio, ut ex oblationibus Christianorum (quæ fieri solebant erga vincetos) ingentem pecuniæ vim correderet, quod etiam ei ex voto cessit; nam dimissus a Syriæ præside, auro suffarcinatus in patriam rediit, Luciano teste, apud Baron. anno 75. Sane Clemens, lib. V. constit. apostol. c. I. ad hanc eleemosynam fideles exhortans, scribit: *Sin vero aliquis non habet, jejundet et cibus ejus diei partitus destinat sanctis. Si vero potest rebus suis omnibus divenditis ex custodia eripere, beatus et amicus Christi erit.* Videte charitatem, videte fervorem primorum Christianorum; qui cum præsentis vitæ periculo sua vincetos elargiti sunt, nullo præcipiente, et ut largiri possent, victum sibi accidebant. Nos in Ecclesia Christi jam adulta sumus, et quasi in meridie lucis christianæ. Ut ergo in meridie omnia magis clarent et solis luce calent: ita æquum esse videtur, ut nos, qui lucem evangelii undique diffusam cernimus, incunabula exorientis Ecclesiæ virtutibus superemus.

II. Ite ad syntaxistas, id est Hebræos, qui in legum suarum cæremoniis construendis toti erant, si imitari non potestis primos Christianos.

Primo, adi S. Job. Nonne ipse ait, c. XXIX. *Oculus fui cæco et pes claudus: pater eram pauperum, quasi diceret: Cæcos duxi, et claudos succollavi: et cap. XXXI. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea? Seram, et alius comedat, etc.?*

Secundo, ad Tobiam, qui in captivitate positus viam veritatis non deseruit: ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere impertiret, et tertio quoque anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem. Idem quotidie pergebat per omnem cognationem suam et consolabatur eos, dividebatque unicuique prout poterat de facultibus suis; esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, et mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat, Tob. I. Ac licet propter hoc a rege occidi jussus esset, non cessavit tamen ab officio charitatis in sepeliendis mortuis, Tob. II.

Tertio, ad Israelitas alios. Hi, II. Paral. XXVIII. captivos suos (ducentum millia) non modo dimiserunt liberos, sed etiam eos, qui ex iis nudi erant, vestierunt de spoliis et refecerunt cibo ac potu, unxerunt insuper propter laborem et adhibuerunt eis curam, imbecilles quoque imposuerunt jumentis et adduxerunt ad fratres suos. Rursum II. Macch. VIII. prædam hostibus ereptam diyiserunt debilibus, pupillis, viduis et

senioribus. Et nonne hodie Judæi magno studio cavent, ne quis ipsorum egeat et stipem colligat? Quid ergo faciant Christiani? Nonne ab illis Christus majorem perfectionem requirit? Nonne ipsi promissiones et hortamenta Christi ad misericordiam præstandam luculentiora habent?

III. Ite ad grammatistas, id est, gentiles, qui in solis creaturarum elementis, et naturæ lege studebant. Et:

Primo, ad mulieres illas obstetrices Pharaonis, Exod. I. et Rahab meretricem, Jos. II. quæ erga Hebræos adeoque alienos tantam exhibuere misericordiam, quantam raro aliquis exhibet erga suos. Illæ enim infantes Hebræorum contra edictum Pharaonis in vita servarunt, hæc legatos eorumdem a suorum furore defendit.

Secundo, ad viros, e quorum numero Cimo Atheniensis fuit, qui, ut scribit Athenæus, l. XII. in agris et hortis suis, qui fructus custodirent, nullos esse permisit, ut e civibus, qui vellent ingressi fructus legerent: et si quod egerent, quod in suis possessionibus proveniret, asportarent ut collibisset. Præterea domum suam omnibus ille communem exhibebat; parata semper frugali cœna, quæ multis hominibus satis esset, ut tenuis fortunæ cives et inopes accedentes et ingressi cœnarent. Illis etiam favebat, qui quotidie ab eo quidquam poscerent, et cum per civitatem ambularet duo vel tres adolescentuli eum comitari solebant cum minutis nummulis, quibus imperabat, si quis obvius egeret, ei stipem erogarent. Eum quoque tradunt mortuis sepeliendis pecuniam contulisse: ac sæpe cum excivibus aliquem male vestitum aspiceret, adolescentum cuiquam ex iis, qui sequebantur, mandavisse, ut suam cum eo vestem commutaret. Valerius Maximus, l. IV. c. VIII. de quodam alio hæc scribit: «Erat opibus excellens Gillias, sed multo etiam animo, quam divitiis locupletior, semperque in eroganda potius, quam in contrahenda pecunia occupatus: adeo ut domus ejus quasi quædam munificentie officina crederetur. Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque benignissime excepti variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites vi tempestatis in possessiones suas compulsos aluit ac vestivit, etc.» Quid, quæso, hi fecissent, si fuissent Christiani? Alius secta Mahometanus, mercator conditione, ætate sexagenarius, cum a regno Xatai per Mecham venisset in Cambogiam, post aliorum testimonia affirmavit principi se aureorum centena millia Mechæ in eleemosynas profudisse, et idcirco quidem, quod senex esset et cito mo-

riturus, et hæc secum auferre non posse certo sciret, audiente eo qui hoc scripsit patre Emanuele Carvalio, an. 1599. cujus litteræ habentur in relatione histor. de India orientali, p. Pimentæ soc. Jesu, impressa Moguntia, anno 1604. Profudit iste sua in gratiam Mahometis: quid nos in gratiam Christi facimus?

IV. Ite ad rudimentistas, ad rudes inquam bestias et dicite ab illis:

Primo, vultisne de volatilibus? Aquila nunquam prædam suam (nisi admodum famelica sit) totam sola devorat, sed cæteris volucribus, se, ut ejus particeps fiant, consecrantibus, eam communiter tamquam mensæ sociis apponit, sua tamen prius accepta portione, Pier. l. XIX. Narrat Alb. M. tr. II. l. VIII. de animal. c. VI. aucupes quosdam in Germania superiori, in canum cæcumque arbori insidentem falconem incidisse, cumque admirarentur qui sibi victum pararet, sese in silva abdidisse, atque ex lateribus conspexisse duos falcones alios, qui cum eo prædæ prandique sui partem communicabant.

Secundo, vultisne ex aquatilibus? Pedunculus piscis sequi solet delphinum, qui eo tantopere delectatur, ut eum ipso libenter prædam communice; victitat ergo ipse ex iis, quæ delphino superfluant atque intercidunt, quibus tamquam locupleti mensa exceptus pinguescit, Ælian. l. IX. c. VII. Videtur ergo delphinus audisse verbum Christi, Luc. XI. *Quod superest date eleemosynam.* Pisces ergo faciunt, quod faciendum monet Christus et Christiani hoc non faciunt, ut superflua saltem mensæ suæ dent esurientibus?

Tertio, vultisne de terrestribus? Exhibet unum Ludovicus Granatensis, l. I. introd. in symb. c. I. « Erant (inquit,) in quodam monasterio nostro canes duo. Accidit ut unus procul a monasterio vulneraretur adeo graviter ut in terram prostratus, mori potius quam vivere videretur. Alius canis videns infortunium sui socii visitabat illum et vulnus lambendo curabat: sed magis mirandum, (inquit,) quod partem panis in ore suo attulit, ut cibaret eum, qui venari non poterat.» Sane etiam in evangelio legimus canes lambendo ulcera Lazari præstitisse id quod poterant misero, cum tamen famuli epulonis ne micas quidem illi porrigerent, Luc. XVI. Quod a Christo ad confusionem illorum, quorum minor est misericordia, quam brutorum, narratum esse non est dubium.

V. Ite ad classem omnium infimam, ad infernum scilicet, ubi principistæ sedent, qui semper incipiunt damnationis suæ saxum volvere, nunquam autem finiunt. Et vel ibi discite, quid est: *Misericordiam volo.* Audite epulonem seden-

tem ad fornacem mediis in flammis, et tamen de fratrum salute sollicitum: *Rogo te, pater,* inquit ad Abraham, Luc. XVI. *ut mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ecce in inferno, ut putes, non deposuit hic dives affectum charitatis; ecce in mediis flammis sollicitus est pro fratribus et succurrere eis rogat. Nos ergo exuemus viscera charitatis, cum nobis adhuc bene est, et cum juvare possumus. Verum non verbis tantum docet misereri, dives, sed et poenis suis; videmus enim illum in flammis cruciari et imprimis siti intoleranda, propterea quod micas negaverit esurienti. O quam levi munusculo redimere potuisset æterna illa tormenta! Si vel micas obtulisset, cælum accepisset, et famem illam ac sitim æternam evasisset. Historiam audite huic rei competentem. Haitonus Armenius præmonstr. in historia Tartarorum, c. XX. scribit: Cum Haolon frater Mangon obsedisset et expugnasset civitatem Baldach, præcepit adduci ad se regem califum, cui cum mandasset, ut omnes thesauros suos universamque substantiam in medium proferret, et protinus paruisset, obstupuit valde videns tantam auri copiam, tam ingentes thesauros tantumque unonum numerum et ait: « Ut quid non impendisti immensas has opes ut conquireres milites, et exercitum conscriberes ex adjacentibus nationibus, quate viribus meis opponere posses? Quia, respondit, præstare me viribus et armis arbitrabar. Præsumebas (replicavit tum) te magnum esse doctorem ac sapientem, necnon populi potentem, ducem et præfectum, ac propterea assignandus est tibi locus, et apponenda fercula majestate tua et celsitudine digna. Quapropter cibus alius non subministrabitur tibi præter aurum, argentum et lapides pretiosos hos, quæ tam sollicite asservabas.» Et ex tunc includi ipsam imperavit in turri munitissima circumdatum opibus et thesauris suis, ut sic fame consumeretur. Annon isti califo similis est epulo? O stultum epulonem! Cur aurum et argentum tuum, imo panem tantum et micas tuas non eo impendisti, ut faceres tibi amicum Lazarum, et emereres tibi in cæle æterna tabernacula? Ad quid tibi jam prodest aurum, epulæ, purpura et byssus tuus, qui inexpugnabili gehennæ turri inclusus es? Quare pecuniam tuam non dedisti ad mensam jacenti præ foribus mendico, quanta cum usura eamdem recepisses? Nunc vero aliud nihil, præterquam sitim æternam, et incendium perpetuum tibi mercatus es. Vide ergo tu, qui dives es, ne et tibi aliquando: simile carmen occinatur. Profecto si miserorum non vis misereri: *Miserere animæ tuæ,*

uti inquit Eccles. cap. XXX. ne descendat ad epulonem. Quid enim aliud meretur, qui facere id nescit, quod sciunt humanistæ, syntaxistæ, grammastæ, rudimentistæ, principistæ? Hunc ergo execrandum descensum fugiamus auditores, et omni studio adlaboremus, ut potius ascenamus ad summam illam classem cælestis theologiæ, ubi audiamus: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur,* Matth. V.

CONCIO V.

IMMISERICORDIE POENÆ PROPONUNTUR, ET EXCUSATIONES REFELLUNTUR.

I. In fortunis. — II. In liberis. — III. In corpore. — IV. In anima. — V. In vita ista. — VI. In altera vita.

THEMA.

Euntes discite, quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium. Matth. IX.

Scriptura, ad quam remittit Dominus Phariseos in hodierno evangelio, habetur Osee cap. VI. ubi Dominus ad prophetam ait: *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Juda? Misericordia vestra, quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens. Propter hoc dolavi in prophetis, et occidi eos in verbis oris mei: et judicia tua quasi lux egredientur, quia misericordiam volui et non sacrificium: quo loco Dominus reprehendit duritiam hominum avarorum erga pauperes, atque similem eam esse nubi matutinæ, seu rori pertransienti, quia scilicet inconstans et momentanea fuerit; ideoque dolasse eos per prophetas, corripiendo nimirum, ita ut occiderit eos, id est, pene enecarit et confecerit velut dolabras in præduro ligno, vel dederit occidendos; atque idcirco judicia ejus sint lucem egressura, id est, manifeste eos puniendos toto mundo inspectante, et quasi mundo spectaculum justitiæ divinæ faciendos: quia scilicet misericordiam erga pauperes voluit potius quam sacrificium. Quæ Dei sententia merito sane terrere deberet omnes illiberales et duros erga pauperes. Si enim Deus prophetas suos exposuit gladio ad hoc, ut corripere ejusmodi avaros, quid faceret ipsis avaris? *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Juda?* ait Dominus. Nimirum ita eos castigabit, ut in toto mundo spectaculum sint justitiæ divinæ. Eo nos mittit Christus in hodierno evangelio: *Euntes discite, quid est, etc.* velut si diceret furaci puero: *Vade ad patibulum et discite quid sit furari.* Hujusmodi ergo spectacula nunc contemplatum ibimus.*

I. Legimus eos punitos in bonis temporalibus. Refert Sigebertus, in chron. apud Baron. anno 605. et Sanctus Gregorius Turonensis episcopus, in gloria conf. cap. CVIII. mendicum quemdam decrepitem in littore maris petiisse a nautis nomine Christi eleemosynam, modicum videlicet cibum ex iis, quæ in navi ferebantur. Præfectus plus æquo immitis respondit: *Abi hinc senex, nihil hac in navi est, præter lapides.* At mendicus: *Si ita est, ut nihil præter lapides habeatis, facit Deus ut ita appareat.* Mirum, mox quidquid esculenti ibi est inventum, versum est in lapidem; erant autem plurima ejus generis parata et devecta e longinquo. Dactyli igitur, olivæ atque alia ejusmodi omnia genuina retenta forma ac colore lapides erant, quos se vidisse et detrectasse memorat Gregorius Turonensis. Dominus autem navis inquisitum senem invenire nusquam potuit, et per multas civitates de iis, quæ in saxa mutata erant, circumtulit, et spectanda proposuit in aliorum exemplum. Quis non videt, quam juste sit punitus hic, quia enim cor lapideum habuit erga pauperem, omnia ejus mercimonia merito in lapides sunt conversa. Petrus Bizarus, apud Delrium, tom. II. disquisit. lib. III. pag. 1. quæst. VII. « In Suevia (inquit) Bavaris et Franconibus finitima, fuit quidam nobilis valde dives et opulentus, nomine Rickbergerus, cujus annui redditus supra triginta millia nummorum aureorum extendebantur. Hic tametsi in reliquis vitæ actionibus non vulgari laude dignus censebatur, infabili tamen cupiditate laborabat: eaque factum est, ut quotidie opes per fas et nefas accumulare omniaque ad se rapere studeret. Cum itaque prospiceret annonæ charitatem, quæ proximo anno in ea regione subsecuta est, sua horrea tritico et frugibus implevit, magnoque pretio divendere cepit: adeo ut indigenæ compulsi ab eo victum emere, ob inexhaustam ejus avaritiam, vel fame prorsus perirent, vel si ali et sustentari vellent ad magnam egestatem atque inopiam redigerentur; tam care illis granum et reliqua ejus generis divendebat. Ad hunc præter alios innumeros venit quidam pauper et liberis onustus, cum sex daleris, eumque rogavit, ut pecuniam acciperet, ac quamdam tritici mensuram sibi daret, seque reliquam partem pecuniæ, quam illi deberet, brevi bona fide persoluturum: at ipse hunc superbo vultu et iracundis oculis intuitus a se protinus ita abre jussit, et quod reliquum erat pecuniæ secum adferre, si frumentum vellet; atque ita miser ac mæstus, diras imprecatus, illic recessit. Paucis post diebus, cum is quemdam ex famulis in horreum misisset ut illud de more inspiceret, ab ipso in reditu accepit, tres

nigros boves intus esse, qui granum devorarent. Qui autem hoc retulit, proximo die lecto decumbens, haud multo post e vita migravit. Idem quoque accidit cuidam generoso, quem illuc herus miserat, ut videret an ita se res haberet, sicut prior narraverat: is enim et boves et equos inspexerat. Cum igitur de hac re certior fieri vellet, ipse neta eum locum proficisci statuit: ivitque ad portam horrei, ibique per quasdam rimas vidit totum horreum plenum variis atque innumeris armentis, quæ omnes fruges absumebant. Hoc spectaculo ita perterritus est, ut statim furiosus atque insanus evaserit, multaque dementer fecerit, donec tandem catenis adstringeretur. Hic horribilis casus magnam sane admirationem attulit, cum in ea provincia tum præcipue in aula Cæsariana, quæ illum antea prudentissimum cognorat. » Hæc ille narrans quæ in Europa memorabilia post annum 1560. accidisse ipse notarat, epitom. fol. CCLXXXI. Cæsarius, l. IV. dial. c. XLVIII. et post eum Sanctus Antonius Florentinus archiepiscopus, in hist. sua narrant de quodam Benedictinorum cœnobio, cujus abbas, quia multum liberalis erat in pauperes, officia omnia in homines ejusdem virtutis distribuerat, dtabaturque cœnobium, omnibus interim, qui illuc divertebant, bene habitis. Post obitum vero abbatis hujus, contigit alium eligi, qui frugalior videri voluit et ad rem attentior. Quare exauctoris illis, qui liberales erant, alios substituit sibi similes. Raræ erant et exiguæ eleemosynæ, excludebantur advenæ, omne studium erat ut cœnobii res parcimonia crescerent: sed exitu plane contrario, deficiebat cœnobium, res ita accidebantur ut sustendendis religiosis vix sufficerent. Accessit aliquando senex aliquis, in Dei nomine hospitii petens locum; cui janitor de paupertate conqueritur cœnobii, antea tam potentis et divitis. Respondit autem senex: *Solent hic habitare sorores duæ, Date et Dabitur: quarum priorrem ejecistis, altera vero quia a se mutuo separari nolunt, fugit? Revocate itaque illam; et ista quoque reddibit.* Quo dicto evanuit; erat enim angelus. Janitor autem indicavit omnia abbati, qui prædecessoris sui revocans charitatem, cœnobium priori loco opibusque restituit. Vere igitur dixit Salomon, Prov. XXVIII. *Qui dat pauperi, non indignabitur: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.*

II. In liberis. Celebre et omnium ore vulgatum extat exemplum in Hollandia factum anno 1276. Margareta comitis Hollandiæ uxor, cum pauperulam mendicantem repulisset, eo quod tam numerosam prolem haberet, ab ea maledicta est ut tot proles pareret, quot sunt dies in anno. Male-

dictionem exaudivit Deus, fecitque ut uxor comitis uno partu 365. proles pareret, quæ omnes per episcopum Huidonem suffraganeum præsentibus nonnullis proceribus et magnatibus in pelvi quadam baptizatae sunt, et masculis nomen Joannes, femellis vero nomen Elisabeth impositum est: quæ postmodum mox una cum matre mortuæ sunt et in cœnobio sanctimonialium D. Bernardi, quod Cosdum nuncupatum, sepultæ: sepulcrum adhuc visitur, teste Guiciardino ejus regionis descriptore et aliis. Nimirum num frustra præcipit Ecclesiasticus, cap. IV. *Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua.*

III. In corpore. S. Willebrordo poscente pabulum et potum a divite, cum ille renuens abiret, ardenti siti percussus est, quam extinguere toto anno non potuit, donec post annum redeunte S. Willebrordo veniam ab eo petens, impetravit. Nam sanctus dedit illi cum benedictione de calice suo bibere, itaque absolutus et sanatus est, ita Albinus Flaccus, in ejus vita. Simile quod contigit Vitali presbytero, qui Sancto Emmeramo membris omnibus truncato, potum poscenti abnuit, non quidem ex immiseriordia, sed ne diutius viveret sanctus in summis doloribus. In pœnam enim quoties deinde potum ori applicavit, mentis inops factus est in exemplum aliorum, ita Cyrinus, in vita Sancti Emmerami.

IV. In anima, ita ut indurati obsurdescant ad inspirationes et vocationes divinas. Hujus rei exemplum habemus, l. I. Reg. c. XXV. in infelici filio Nabal, qui Davidi de se bene merito, subsidium petenti, respondit: *Quis est David, et quis est filius Isai, tollam ergo panes meos, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis et dabo viris, quos nescio unde sint?* Quem tamen paulo post divina justitia comprehendit. Nam cum uxor ei recensuisset, qua ratione David cum suis militibus perdere eum venisset, nisi obstitisset ipsa. *Emortuus est cor ejus intrinsecus, ait Scriptura. factus est quasi lapis, et post dies decem percussit eum Dominus et mortuus est.* Nimirum quia obsurdit ad vocem pauperis, ita punitus est; ut obsurdesceret etiam ad vocem Dei vocantis eum per uxorem ad resipiscentiam. Novimus ex parabola seminantis, quantum malum sit non audire verbum Dei, quando semen cadit secus viam, vel in petram, vel in spinas. Hanc penam meretur duritia in pauperes. Deus est nobis multo plus quam David Nabalo, omnia enim nostra nobis dedit et conservat: quid magnum ergo si militibus suis pauperibus aliquid subsidii petat? Et tamen plurimi eum non agnoscunt sub tunica

pauperum latere: quibus merito dicere posset Christus, quod Samaritanæ: *Si scires donum Dei, et quis est, qui tibi dicit: Da mihi bibere?* Darent enim utique, et hoc ipsum pro dono maximo reputarent.

V. In vita hujus exemplum habemus in Sabinianno papa illiberali, successore S. Gregorii M. liberalissimi. Cum enim is prædecessoris sui liberalitati derogaret, eleemosynas pauperibus constitutas abrogando, S. Gregorius per visum ei ter apparuit, tenacitatem ejus redarguendo et pœnam comminando nisi resipisceret: tandem ergo persistentem in avaritia in capite percussit. Ex quo ille dolore vexatus, non multo post mortem appetiit, et corpus ejus, populo impediendo, non ex more humatum ad S. Petrum, sed extra muros ad pontem Milvium delatum est, Baron. ad annum 603. Nota est etiam historia de Hattone archiepiscopo Moguntino, prius abbate Fuldensi, qui non procul a Moguntia in monte quodam (Hattenberg etiam hodie dicto) arcem sibi ædificari curavit, ubi ne pauperes eleemosynam petitori ipsum obruerent, frequenter habitavit. Cumque maxima fame homines eo tempore premerentur, pauperes atque mendicos non paucos in unum locum, quasi stipem eis largiturus convocavit. Quos omnes in horreo quodam congregatos igne supposito crudeliter combussit: quos cum lamentabili voce ululantes audisset, derisit dicens ad suos aulicos: *Hore hore: Wie pfeissen die Mause* (mures enim appellabat pauperes, quod frumentum absumerent) sed non impune hoc tulit; nam a muribus ita infestatus est, ut ad eos effugiendos in medio Rheni turrim prope Bingen, quæ usque hodie *der Maus Thurm* vocatur, ædificare coactus sit, in quam se reciperet: sed nec ibi tutus natantibus per Rhenum muribus præda facta est: nomenque et insignia ejus a parietibus et tapetibus undique per eosdem mures abrossa. Refert Genebrardus, l. XIV. chronograph. sub annum Domini 970. Hieronymus Zieglerus, de viris illustribus Germ. et alii. Quæ tamen narratio, si conficta est, ut videtur Nic. Serario, nolumus huic præsulii quidquam detractum. Narrat insuper Baron. terribilem casum avari cujusdam divitis Constantinopolitani: qui cum vehementer ægrotrans triginta libras argenti pauperibus distribuisset, restitutus autem valetudini facti penituisset; re cum amico communicata, ubi non potuit averti ab eo pravo dolore, tunc alter ille promittens ei pecuniam reddere, dum vellet in templo dicere, haud se eam pauperibus, sed illum alium elargitum esse: statim ut hoc avarus præstitit in ipso ecclesiæ exitu mortuus concidit; integram vero

pecuniam alius pauperibus erogavit. Videmus vascula certa fictilia, quibus recondi solent nummi et per actum foramen injici, qui postmodum eripi nequeunt, nisi vascula confringantur. Idem accidit avaris, qui ita recondunt nummos ut per eleemosynam nihil ab eis obtineri possit. Hos ergo confringit sæpe Deus per mortem violentam, et tunc nummos eorum dispergit undique in hæredes, advocatos, pauperes, etc.

VI. In altera vita, ubi non exaudientur eorum preces et clamores, ut ostendit exemplum epulonis, qui quoniam micas Lazaro non dedit, guttam aquæ in inferno non obtinuit: *Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam, inquit Jacobus, cap. II. Euntes igitur discite, quid est: Misericordiam volo.* Ut enim monuit Dominus inconstantes in pœnitentia, Luc. XVII. *Memores estote uxoris Loth;* sic etiam admonet avaros exemplo epulonis et Hattonis in turre adhuc existente, etc. Quomodo enim petat misericordiam qui eam alteri negavit? Annon Proverb. XXI. dicitur: *Qui obturat aurem suam ne audiat pauperem, et ipse clamabit ad Dominum, et non erit qui exaudiat eum?* Exemplum recensetur in speculo tristium Jo. Duegnii Hisp. cap. I. de opulento cæteroqui bono, sed adeo tenace et illiberali ut ne mendicantium quidem voces audire vellet, unde remotius ab ædium janua struxit sibi domicilium, ubi nullos pauperum clamores audire posset. Qui cum esset mortuus, et exequiis in templo solitis cohonestatus, quoties sacerdos ad populum se vertens dicebat: *Dominus vobiscum,* toties imago crucifixi visa est manus suas clavibus eximere et immissis in aures digitis, eas obturare. Quo portento obstupefacti omnes, inquisitione facta deprehenderunt defunctum illum pauperibus modo prædicto aures quoque suam olim obturare solitum: atque ita merito a Deo non auditas esse preces, quæ pro eo fundebantur.

Sed allegant avari. Primo, multos pauperum fraudulenter agere, dum morbos fingunt et colore superinducto pingunt. Sed respondet S. Chrysostom. hom. XXXV. et XXXVII. ad pop. vel ex hoc ipso colligi divitum tyrannidem, qui tam immiseriordes sint, ut ad impetrandam eleemosynam pauperes mendacio indigeant. Etenim durus esset pater, cujus filius ad impetrandum panis fructum, morbos deberet fingere.

Secundo, pauperes abligurire suas eleemosynas et opipare vivere. Respondet idem, non debere nos conservorum expensas tam rigide subducere: quo enim judicio judicamus conservum, eodem et rigidiore judicabit nos Deus. Et quis tibi potius concessit vel aliis abligurire bona tempora-